B. N. C.
FIRENZE
3 2 0 4
13

Digitized by Google

2304-13

ORATIO PARAENETICA

PRO

STUDIORUM INSTAURATIONE

HABITA XV. KAL. FEBR. MDCCCXV.

IN REGIA UNIVERSITATE NEAPOLITANA

AB

ALOYSIO VINCENTIO CASSITTO
SACRAE THEOLOGIAE MAGISTRO,
EJUSDEM FACULTATIS REGIO ANTECESSORE DECANO,
EQUITE REGALIS ORDINIS UTRIUSQUE SICILIAE,
REGIOQUE HONORIS NUMISMATE INSIGNITO,
PLURIUM ACADEMIARUM SOCIO ORDINARIO
etc. etc. etc.

BIBLIOTECA NAZIONALE FIRENZE

NEAPOLI
Typis Ioannis de Bonis
1815.

QUAE duo, mortales ad magna, et ardua impellere solent, Religionis, et Patriae amor, ea (doctissimi et amplissimi Professores; Viri quotquot adestis, ornatissimi) obversari oculis hodierna die video, in qua munus iterum mihi conlatum est, ut adolescentes nostros ignitâ quadam dicendi vi ad scientiarum studia inflammem, quorum sane culturâ Patria et praesidium sibi perenne, et nobilissimum comparat ornamentum. Eo scilicet male-feriatorum hominum artificia devenisse novimus, ut calumniam atrocissimam Patrum nostrorum Religioni inurere non formidarint, qua ipsam veluti scientiis adversam traducunt. An ergo Mahumedis impuram, stultissimamque sectam Christiani profiteamur, quae bardos adseclas et invenit et facit, quo

nempe turpitudo, et falsitas tam ridicula, tamque aperta minime deprehendatur? An ergo veritas lucem formidabit? Et tamen iuvenes incautos videre est, qui calumniae tam putidae miserrime adquiescentes Religioni valedicunt, quod existiment eam cum scientiis non posse consistere, illudque viro Philosopho, et erudito indignum, si praeiudiciis, quae vocant, Religionis irretitus appareat, nec Philosophus quis salutari possit, nisi Religionis praefractâ fronte inimicum se profiteatur. Pessimo quidem eiusmodi inito consilio, quidquid usquam Religionis est, nihili facientes, praecipites, et effraenes in mala prorumpunt; Atheismus mirifice extollitur; adolescentes vitiis obruti contabescunt; scientias, vix summis labiis delibant; parentes, patriam, quae spes omnes in ipsis collocaverat suas, destituunt; uno verbo dicam, Auditores: Ex quo impiorum in Religionem calumnia percrebuit, Patriae veluti viscera discerpuntur. Quid? Tacebimus?

Tam exsitioso morbo, inquam, in dies magis magisque desaevienti non occurremus? Tantam Nos malorum colluviem, aut siccis videbimus oculis, aut in angulo tacite gementes, Nos, inquam, qui iuventutis Patres constituti sumus, Nos quibus Patria iuvenes concredidit, ut ipsius bono et studiis scientiarum, et optimis moribus excolantur? Videtis non hoc tempora, non hoc officia poscere, ut taceamus. Quapropter muneri meo sacro, quo hac ipsâ in studiorum Universitate fungor, me non fecisse satis, vos ipsi pro eâ, qui estis prudenti iudicaretis, si aliud orationi meae argumentum delegissem, ubi illud maxime occurrit, *Scientiarum*, inquam, *cum Religione connexio*. Hac enim semel expositâ, calumniae in Religionem diluuntur, moeror lugentis Patriae detergitur, scientiis rite excolendis efficacissimum iuventuti adiicitur incitamentum. Benignas itaque mihi aures praebete, et hominem non de nugis, sed de gravissimis rebus pro virili

disserentem benevoli excipite. Ornamenta, et lenocinia respuit tantis rebus intenta mens, et oratio dicentis. Nihil heic sententiarum calamistris, nihil verborum, ut ille aiebat, sesamo condietur. Res ipsa per se doceri contenta, satis utilitate animos adlicit, nec fuco aliunde quaesito, et pigmentariis rethorum arculis indigemus, dum Viros doctissimos, neque imperitos adloquimur adolescentes. Audite igitur omnes, et favete.

Quum Christiana Religio duobus quasi tibicinibus fulciatur, quorum alter est Dei O. M. cultus, alter vero in universum genus humanum effusus, omnique labe purus constantissimus amor; quumque illa etiam duo in aperto sint, et nos scilicet per scientias ad supremi Numinis pulcritudinem, et maiestatem contemplandam adsurgere, necnon et scientiarum, artiumque studia viam quodammodo ad felicitatem nobis sternere; iam sponte sua consequitur, Religionem cum scientiis arcto

ipso foedere sociari, quo finis, quaeque ad finem nos ducunt omnia, coniunguntur. Quod quidem tam constans, et certum fuit sapientum opinione, ut aetatum omnium qui clarissimi iudicio, et prudentes habiti sunt, nihil potius decere, nihil tam rationi convenire existimaverint, quam ut Religio cum insigni scientiâ necteretur. Per scientias enim, ut ait Diodorus Siculus de Aegyptiis, qui post Chaldaeos disciplinas pertractasse feruntur, veteres illi existimabant Deos maxime coli, et in eos pietatem foveri; hinc prudentiam adquiri Reipubl. cohonestandae, ac tuendae maxime necessariam. Cuius rei altiorem quamdam rationem Pythagoras prodidit: aiebat enim solum Deum sapientem esse, omnisque boni auctorem, ut qui cum illo haberent, manuducente veluti Religione, commercium, radiis quodammodo ipsius divinae scientiae, et bonitatis illustrati, et Deum probe nossent, et optime de Republ. mererentur. Iam hoc proxime intue-

bimur, scientias esse, quae hominem ad Religionem ducant, Religionem vero, quae hominibus scientias toto conatu excolendas commendet, ut bono, et ornamento Reip. consulant.

Atque ut a Philosophiâ sit principium, non me plane latet, vel a primis Religionis nostrae incunabulis, ipsam ut veritatis hostem habitam fuisse; nam si lubet vetera monumenta perscrutari, sic inveniemus ab iis, qui se Philosophos venditabant acriter, fuisse divexatam Religionem, tantosque ab illis in hominum perniciem fluctus excitatos, ut, cum clarissimi, et doctissimi Viri conspicerent in eo studiorum genere Syrtes ubique ad naufragia parari, tamquam ex alto monerent esse ab eo periculo cavendum, nisi quis sciens volensque decerneret certissimo exitio demergi. Hinc Nazianzenus Gregorius acerrimo Vir iudicio, et omnigena eruditione praeclarissimus deplorat aetate sua, tamquam Aegyptiacas plagas nescio quos fle-

xus, et captiones Sophistarum irrepsisse: Hinc Hieronymus aiebat, Religionis hostes, ut locustas inter Aristotelis, et Chrysippi spineta latitare, unde ad pietatis florem infringendum evolarent. Neque aliâ de Philosophiâ, nisi de eâ, qua ad Religionem labefactandam impii homines abutebantur, Paullus pronunciavit: » Videte, ne quis vos decipiat, vel (ut Ambrosius recitat) depraedetur per Philosophiam, et inanem fallaciam ». Recte hostes veritatis, qui se Philosophos esse pallio tantum, et supercilio profitebantur, *praedones*, et *piratas* nequissimos dixit, quod impio, et nefario latrocinio pretiosissima quaeque sanctae Religionis diripiebant. Antiquam quippe Aegyptiorum sapientiam, immo et Graecorum, et Latii pudendis ubique foeditatibus inquinatas Venusinus noster miro, ut solet, iudicio *insanientem sapientiam* nuncupavit. Tunc denique, quum Christianae Philosophiae thesauros palliati illi piratae compilaverunt,

fabulisque suis plumbeis gemmas nostrorum dogmatum inseruerunt, si non recte tandem sapere coepere, at saltem ineptire, et insanire desiisse videntur. Atque haec si de artibus Philosophorum, qui Religionem iam tunc exorientem oblatrabant fateri debetis, iniqui profecto iudicii notam non vitabitis, nisi unâ damnabitis sententiâ et hos urbanos homines, atque elegantissimos temporum nostrorum, qui Deum Opt. Max. de caelo deturbare, hominesque in bruta vertere animantia Circaeis poculis adnituntur. *Philosophos* ipsi se salutant, et optivo nomine crescunt. Apage piratas! Apage praedones! Atqui nos veram, nec simulatam Philosophiam illam dicimus, quae homines ad Deum contemplandum, admirandumque perducit. Haec scilicet illa Philosophia est, quam ad pulcherrimum vitae ornamentum e caelo delapsam scripsit Nazianzenus, ut cum redeunte ipsâ et nos nisu in caelum felicissimo subvolemus. Si enim Logica ratio-

nem a falsis opinionibus, si Metaphysica intellectum a sensuum errore, si Ethica voluntatem a pravis affectionibus liberat, si Geometria ingenii errores cohibet, aptior per haec homo fit, quo mente res Divinas, sublimesque adsequatur. Audivistis, me nunc loquente, *Io*: *Bapt*: *Vici*, divini hominis verba, quae ille ex hoc ipso olim loco de *Mente. Heroica* nobilissime disserens, pronunciavit. Et ut illuc redeam, unde diverteram, quid de Physicâ dicam, quae mirum quantum nos excitet ad Numen contemplandum, atque adsequendum? Quo stupore animus non tangitur, dum Naturae rimatur penetralia? Neque inde caussas effectorum soepe inveniens, ad ultimam illam caussarum Caussam denique perveniat oportet, quae veluti quorumdam velamento latebrarum celare se voluit, ut ineptos conatus mortalium falleret, superbiam retunderet. Merito Verulamius (*De augment. scientiar. L.* 1 *p. m.* 6) censet *certissimum esse*,

atque experientia comprobatum, leves gustus in Philosophia movere fortasse ad Atheismum, sed pleniores haustus ad Religionem reducere. Rerum sane natura perturbata quodammodo, mixtis veluti casu rebus, prim facie Sophistis conspicitur. Qui tamen serio, qui diu, qui summa animi contentione in rebus physicis versatur, et ordinem, vim, motus in natura contempletur, artem admiratur, noscit et adorat artificem. Hoc etiam scio a magnis Viris Newtono, et Boheravio saepe dictum, eum, qui Naturalis Historiae, Astronomiae, et Anatomiae, et totius quanta est physica illa tractatio, studiis amoenissimis delectatur, numquam Atheum evasurum, aut si fiat, vitio plane mentis laborare, et Antyciram esse deportandum. Egregiam propterea, meâ quidem sententiâ, navarunt operam Lesserius, Bonnetus, Derhamius, Fabricius, Sturmius, ipsi quandoque Linnaeus, et Buffonius, ubi adspectabili hac rerum universitate,

eiusque partibus, et legibus accurate inspectis, reclusisque naturae mysteriis, Religionis quoque aditum complanarunt. Plumbeus igitur sit, aut omnino stipes qui cum maximam istam sentiat, quam a Philosophiâ Religio haurit utilitatem, nexum deinde, quo invicem copulantur, se non agnoscere, iactitaret. Nulla, fateor, societas intercedit Religionem inter, illamque nomine tenus, atque eo ipso augusto nomine indignam Philosophiam, quae a *Naturalismo* quem adpellant, in Atheismum sensim derepit, et Religionis ipsius fundamenta convellere adnititur. Iam vero tot, tantisque exantlatis laboribus, delapsis tot saeculis, tot adhibitis experimentis, adrogatis etiam antiquorum investigationibus, doctrinae novam clarissimamque lucem adeptae sunt. Et tamen (proh pudor!) recte philosophicis in tenebris veteres rationem iniisse fatendum, posteros in luce media coecutire. Plato enim, Socrates, Pytagoras quasi certatim

definivere, non alium esse vere sapientem, quam qui cum Deo societatem iungeret, eiusque adpeteret amicitiam. Nulla Aristoteli beatitas, nulla felicitas, nisi in cognoscendâ summâ veritate statuebatur. Quod Cilix ille acutissimus, neqne inter Peripateticos infimus Simplicius enarrans, Philosophiam docuit nullam esse, ubi nulla animi perfectio, nullam vero animi perfectionem, nisi auctorem, caussam, principium suum quam arctissime complectatur; nisi finem, scopumque suum contingens, in ipso haereat, et conquiescat; nullum denique et principium, et finem animo humano, si a Deo discedamus, posse tribui; atque hinc sequi, ut divulsus et abstractus a Divinitate animus, negatâ perfectione suâ, portuque et salutis, et sapientiae deiectus, hac illac certa spe naufragii miserrimo spectaculo in horribile documentum iactetur, et miserrime perdatur.

Sed de Philosophiâ satis: nunc et reli-

quas scientias quantum cum Religione conveniant, et quod robur, et vim ab ipsa accipiant, prosequamur. A Iurisprudentia exordior, quod Moralem Philosophiae nobilissimam partem derivet in praecipuum bonum civitatis. Iurisconsultos verae, nec simulatae Philosophiae cultores esse satis innuit Domitius Ulpianus, qui Iurisprudentiam *Divinarum, atque humanarum rerum notitiam* definivit. Sacra quippe, et humana legibus reguntur, adeo ut Iurisconsulti, qui Legum peritiam profitentur, non profani dumtaxat iuris, sed et sacri prudentiâ censeantur oportet, quod elegantissimus Van-Bynckersoekius et acute vidit, et pluribus in aureolo illo Commentario ad Pomponium de Origine Iuris, demonstravit. Neque abludit Brissonius, ubi congestis antiquorum testimoniis evincit nullos olim floruisse Iurisconsultos fama notos, qui sacrorum scientiâ non pollerent, quod sacra, pars forent potissima administrandae rectius,

et ordinandae Reip., atque unicum, immo fortissimum societatis humanae vinculum. Quis porro nescit Ius Naturae, et Gentium, ex quo civilium Legum elementa adumbrantur, ministerio dumtaxat purioris Religionis adeo perfectum fuisse, ut vitia tandem quibus hominum inscitiâ corrumpebatur, excusserit? Necessarium quippe erat, ut idem ipse Deus Naturae Legem et repurgaret, et confirmaret, qui condiderat. Hoc magistro Legem illam integram accepimus; hoc eodem accipere nos conveniebat detersam, emaculatam, instauratam. Nam quo pertinuit ultionis licentia, fallentes fallendi concessa nequitia, mendaciorum excusatio, laus ambitionis, Veneris etiam extra connubium permissio, atque alia innumera; quo dolus ille bonus; quo inter contrahentes tolerata libertas modice se decipiendi, nisi ut intelligeremus mancam Iurisprudentiam claudicare, nisi Religionis manu ducetur, et sustentetur? Accedit, quod postulante

Legum civilium fine, quum iustitiae administratio requirat, ut ius suum cuique tribuatur, nihil aliud clamet Religio, nihil aliud suadeat, nisi hoc numero ipsum. Quibus si adiiciatur, quod Leges Religione optime sanciantur, quoniam Religio illis obtemperandum ex animo iubet, seu *propter conscientiam*, ut Paulli verbis utar; Religionem Legum summum ius emollire, easque submota tyrannide humaniores facere, nostrisque usibus aptiores, utique Religionis cum Iurisprudentia foedus, et amicitia luce clarior apparebit. Vestram heic adpello fidem, Auditores. Age, auferamus de medio Religionem. Quid iustum tunc, quid iniustum? Quinam iusti, iniustique fines? Si dices cum Venusino (*L.* I. *Sat. III. v.* 105.) iustum a lege ortum, nec legem nisi ab homine ferri, iam ab hominis coeco impetu, et arbitrio virtus, et iustitia fluet; nec iura igitur habebimus clara, sed casu

omnia mista, ac perturbatam quanta est, generis humani familiam.

Inspecta nunc Iurisprudentia, ad Medicinam convertor. Ut enim Philosophia in Iurisprudentiam derivata utilitates omnium solidiores promovet in his, quae ad mores, et animum pertinent; ita et Medicam scientiam prevadit, et complet, qui maxima etiam utilitas hominibus comparatur, corporis nempe incolumitas, cui sane post curam animi, ac morum prospici diligenter, Deo ipso iubente, a nobis oportet. Cum hac itaque arte salutari minus amice sese non habet Religio. Mittamus, scientias, quae ad Medicinam viam sternunt, vel, ut melius dicam, quibus veluti suis tibicinibus nitiur, Botanicam, dico, Physiologiam, Anatomiam, Chemiam, Naturae universae studium arcte cum Religione, uti vidimus, copulari. Et hoc animadverto, homines ut se se mutuo diligant Religionem praecipere, urgere, exigere. Videtis igitur quos

igniculos, immo quas faces ipsa admoveat Viro medendis hominum corporibus occupato, ut qua possit diligentia res, quarum adeo difficile est iudicium, perspectas habeat, quibus ignoratis taeterrima homicidia consequerentur. Quum enim naturae viribus, quas nunc vitae vim, nunc stimulos adpellant, fugari morbus possit, huic vi regendae, hisque stimulis moderandis medicus praeest, ut nauclerus navigio. Quod si nauclerus per Oceanum saxis infame, scatens belluis, ignotum sibi pergat, quid navi fiet? Peritus vero et ventorum, et siderum, et locorum, syrtes heic vitat, heic remis inhibet, heic pedem iubet fieri, heic vela contrahi, heic ventis permitti, donec portum navigatione tutissima consequatur. Heu quot medicorum inscitia peperit naufragia populorum! nam familiarum, et hominum singulorum dicere parum est. Habeamus autem medicum Religione praestantem, et Virum habebimus doctissimum, cui nem-

pe religio est ne vigiliis, sudoribus, experimentis parcat, qui hominibus infirmis praesto sit, Virum pietate in miseros, et egenos eximium, quorum casas, et tabernas, Religione praeeunte perlustret. Audistisne, colluctante iam cum morte patrefamilias, adolescentulo, puellâ, domus luctu consternatae clamores? vidistis suffusos lacrimis oculos, pallore vultus? Imago Dei Medicus, Religione comite, inter suspiria, metumque suorum vitam reddit homini. Quae tunc laetitia! qui plausus! quae gratulatio! Religionis haec sunt opera, Auditores Eius enim caussâ exantlavit labores Medicus, ne muneri suo deesset; eius caussâ vel pauperes vel miserrimos, et ab ipsa civitate reiectos veluti ftatres suos, maximo studio complectitur, nec plagarum foeditate, nec deliramento, ac furore aegroti, nec taetro, quem fundit, halitu, neque ipso denique mortis periculo, et adspectu terretur, aut ab homine abstrahitur adiuvando. Quod si morientem

Orci faucibus invìdere non poterit, at ultimo saltem solatur adloquio; et si, ut quandoque fit, ministeria sacra procul absint, et agenti animam desint, ipse tunc medicus augusto quasi officio fungitur Sacerdotum, aeternorum spe confirmat dubium, atque sollicitum sui, facit denique ut quam lenissime moriatur. O veram profecto Medicinam! O thesauris omnibus anteponendam! O tutum in summâ infelicitate humanâ solatium! Sed quid horum sine ope Religionis admiraremur? Suis idcirco Medicis Religio honorem tribuendum esse iubet, Medicis inquam, quos divino actos spiritu esse oportet, ut mortalium necessitatibus honestissime occurrant.

Quum autem Philosophia universa sive in Iurisprudentiam, sive in Medicinam derivatur, et in usum communem deducitur, Historiae, Artis Criticae, literarumque, quae humanae appellantur, subsidiis egeat, ne argumentum de iis transeam,

ipsa temporum conditio exposcit. Nunc plane nescio quo adverso scientiis fato, studia illa humaniora pessumdantur, aut quasi inutilia prorsus, et ridicula traducuntur. Videmus enim nonnullos, qui vix a limine sive Geometriam, sive Physicam salutarunt, ut lingua aliqua transalpinâ in morem psittaci loqui didicerunt, statim in Philosophos, virosque summos (si Superis placet) evadere; quicquid Latini, sive Graeci sermonis est, quicquid ad rem Criticam, et Philologicam spectat sannis excipientes, quasi illae nugae merae sint, et pueriles occupationes. Atqui non aliunde in scientiis addiscendis instrumenta quaeri possunt idonea; nam notiones quasvis humanas signorum, seu verborum figurâ servari, excitari, atque invicem comparari fateamur oportet, ut aeque necessaria sit notionum scientia, et signorum, Philosophiae scilicet, et Philologiae. Fuit aliquando tempus, quum in Christianâ vitâ quidam grati, et auctori-

tate pollentes, sed humaniorum literarum expertes, eas omnes veluti profanas repudiandas esse contenderent. Viguit cum maxime talis hominum natio illis temporibus, quum Athenae, et Alexandria floruerunt, ubi quum omnium doctrinarum professores studio, et ingenio celebrarentur, qui ab illis docti fuissent, et egregie politioribus disciplinis imbuti, saepe ad Ecclesiam moderandam eligebantur, lateque splendorem famae, et eruditionis diffundebant. Hinc enatus indoctorum livor, iique in animi ieiunitate, nobilissimas, florentesque artes latrabant, quasi viro Christiano indignas, quas scilicet ipsi adsequi minime potuissent. Hinc cum Basilius, eiusque frater Nyssenus, et plures quoque gravitatis et ingenii gloriâ pollentes, exemplo, egregiisque monitis ad literarum studia omnes incenderent, reperti sunt, qui in lividam acti rabiem dictitarent eas doctrinas, quas ut plurimum profani traderent, nullum habere cum Religione com-

mercium. At soepe in illis merito invectus est Gregorius Nazianzenus, et hominibus imperitis larvam illam deripuit, quos ait inscitiam splendido Religionis velamento praetexere, et Christianos solos dicere, qui se indoctorum piscatorum discipulos profiterentur. Sed ego, aiebat ille, ultro mutus, et indoctus piscator essem, si pro sermone mirifica mihi communicata fuisset in prodigiis efficiendis potentia, quam divino beneficio piscatores illi receperunt. Cum hostibus huiusmodi literarum humaniorum bellandum etiam fuit Chrysostomo, qui iactantibus in Religionis negotio nihil esse Eloquentiam, Poesim, Linguarum studia, respondebat pernecessarium omnino esse Religioni verborum ministerium. Eam ipsam ob caussam pulcherrimam dedit Epistolam Hieronymus, conquisitisque exemplis docuit, veteres Patres Religionis primipilos humanis literis politissimos exstitisse. Quod si quis ex iis inter profana, et Christiano homine indi-

gna literas eiecerunt, id profecto in caussâ fuit, quod quidam in Ecclesia (ait Hieronymus ipse ad Damasum) studiis sacris omnino posthabitis, et Evangeliis, et Prophetiis omissis, Virgilium in sinu habebant, Catullum, et Martialem terebant, in Terentianis fabulis evolvendis omne tempus, omnemque operam impendebant. Ceterum videre mihi videor Basilios, Gregorios, Chrysostomos, Hierarchas ceteros, quorum eruditis, et clarissimis monumentis tamquam exercitibus Religio triumphavit, Athenas ipsas Atticas certatim diripere, et reconditas Musarum opes, aureamque supellectilem in Religionem convehere; scite enim, et argute Nyssenus hoc Christiani esse ait, ut Ethnicos Dialectica, Rhetorica, Astronomia, Geometria, Poesi exspoliet, ac triumphalibus veluti manubiis tabernaculum Dei pulcherrime exornet. Quis autem non videt, quantum Poesis adtollatur, ubi ad Numinis maiestatem excolendam instituta, fa-

bulis deinde incrustata, et ad Deorum fictum Numen dicendum, et ad foedos fluxosque amores incitandos detorta, denique ad veram Religionem decantandam revocetur? Quis Poesim unquam ab ea alienam putabit, qui videat in sacris libris Dei afflatu elaboratis pangi Odas, hymnosque numerose, et texturam poeticam duci, magnâ imaginum et suavitate, et varietate in sublime elatam, Vatum praedictiones, et divinos cantus nunc Pindarico, nunc Alcaico pede currere, heic in heroicam, illic in cothurnatam maiestatem adsurgentes? Qua de re docte Hieronymus: » Quid Psalterio canorius? Quod in morem Flacci nostri, et Pindari, nunc Alcaico personat, nunc Iambo currit, nunc Sapphico tumet, nunc Semipede ingreditur? »

Quid vero de Eloquentiâ? Praestat Aurelium Augustinum legere, qui Libro II. *de Doctrina Christiana* in eo totus est, ut ostendat maximam ab Eloquentiâ uti-

litatem ad suas veritates propugnandas Religionem accipere; ait enim: » Quis suadeat dicere adversus mendacium inermem debere consistere veritatem, ut videlicet illi, qui res falsas persuadere conantur, noverint vel benevolum, vel intentum, vel docilem eloquentiâ facere, et qui veritatem propugnant, non noverint? » Id etiam cópiose disserit Chrysostomus, qui exemplo suo quantum in Religionis negotio, robur habeat Eloquentia demonstravit. Graeca exemplaria, et Latina diurnis, nocturnisque manibus versanda sunt his, qui Demosthenes, qui Tullios aemulari volunt. Sed in Religionis armario an non libri etiam latent hanc in rem vel Demosthenibus, vel Tulliis ipsis omnino utiliores? Quid est, quod totâ oratione perlectâ Milonianâ Ciceronis, vel totâ Demosthenis pro Coronâ, parum, si ingenue dicendum sit, animus moveatur? Quod miremur artem, et tamen lentissima nobis maneant praecordia, nullo, aut leni

quodam motu vix tacta? unum vero, duos, tres Bibliorum versiculos in Prophetis, in Evangelio, in Epistolis Apostolorum paene legimus; et iam, velimus nolimus, nunc suavissimo amore incalescimus, nunc terrore horremus, nunc dolore prostramur, semper intimâ rerum persuasione vincamur? Atque utinam Rhetoricam Biblicam aliquis adornaret! Proh Deum immortalem! Quam elegans, et fructu opima haec esset ad veram Eloquentiam manuductio, si exemplis accurate collectis manus aliqua philosophica ordinem daret, et cum ordine lucem! Haec tandem foret illa Eloquentiae Philosophia tamdiu in desideratis Verulamii derelicta.

Sed quum Eloquentia ipsa mirum quantum extolli videatur, si castus, purusque sermo sit, si Hebraicae, Graecae, vel etiam vernaculae linguae veneres in orationem deriventur, iam patet a Religione ad studia linguarum excolenda efficax etiam

praeberi incitamentum. Praeterea, linguarum cognitio apprime necessaria est ad Sancta Religionis monumenta intelligenda, quae hebraice, graece, latine scripta inveniuntur sive in Bibliis, sive in Patrum operibus, sive in Conciliorum sanctionibus. Virorum autem doctorum Religio, sive, ut Paullus aiebat, *obsequium rationabile* maxime esse cum deceat, profecto intactos illos Revelationis latices ex fontis ipso capite hauriant necesse est.

His, ut potuimus, expositis, mirari iam non subit, si a Religione, quae scientiis omnibus, bonisque literis tam intime adhaeret, scientiae ipsae accurato studio servatae, et veluti traditae nobis exstiterint. Actum scilicet de scientiis, literisque esset, si eas naufragio Religio opportune non eripuisset. Quid enim? Existerent ne Platonis, Aristotelis, Homeri, Demosthenis, Ciceronis, aliorumque sive Poetae ipsi fuerint, sive Historici, sive Oratores, sive qui Graece, si-

ve qui Latine scripserint opera cedro dignissima, nisi Monachorum (iustos enim, et gratos nos esse oportet) industria accessisset? Nonne barbaris cuncta diripientibus, et ferro, flammaque vastantibus quas potuerunt intactas antiquitatis reliquias servarunt, exscripserunt, posteris tradiderunt? An non nocte illâ obscurissimâ, qua ignorantiae tenebris cuncta miserrime involuta tenebantur, Religio fuit, quae suis Ministris scientiam, et laborem inculcans, Sapientiae ignem veluti conditum Sanctuario servavit, suo tandem loco, et tempore proferendum? Universitatum, Collegiorum, Seminariorum institutio cuinam, nisi Religioni erit unice tribuenda? Saeculum illud ipsum, quo actis iam ferreis, et lutulentis renasci, et restitui omine felicissimo literae, et scientiae visae sunt, quo nisi Leonis Decimi quasi proprio nomine salutatur? Ipse Cardinalis Carolus Borromaeus Vir sanctissimus et Petrum Victorium fovit in Latinis, Graecis-

que literis exscribendis, post quem Criticis transalpinis exigua tantum spicilegia relicta sunt; et Comoedias Publii Terentii diligentissime a Faerno emendari curavit ad membranarum fidem, sibique inscribi minime recusavit. Astronomos praeclarissimos adhibuit Gregorius XIII, qui Kalendario restituendo incumberent. Linguae Veteres, ut Hebraica, et aliae Orientales agnatae, tum Latina, tum Graeca, a Religione unice custoditae. Scripturarum multiplices versiones emersere, ideoque Philologia et Critica coli coeptae, quae paullatim in profana etiam studia permearunt. Et quoniam de literarum, scientiarumque monumentis, quae Religio servavit, excurrit sermo, recolite quaeso quantum ab ipsâ, Historia adiuvetur. Quae Clariss. Viri Pezius, Mabillonius, Martene, Montfauconius, Balutius, Muratorius, Mansius ad tot mediae aetatis tricas expediendas, fugandasque tenebras pretiosissima ediderunt Monumenta paene ad res sacras

omnia pertinent, atque e sacris Bibliothecis, ac tabulariis prodierunt. Historiae Naturali, et Geographiae qui incumbunt nova multa per Religionem acceperunt, cum Evangelii praecones, qui ad eam agrestium populorum, hominumque efferatorum mentibus inserendam ignotas antea insulas, regionesque non adhuc Europaeo pede calcatas peragrarunt, tot tamque insigna, quae unaquaeque tellus profert, pulcherrime descripta tradiderunt. Magnum Scheuchzeri opus ex solis Bibliis lucem sane immensam in Naturalem Historiam effudit. Bocharti Hierozoicon partem illam de Animalibus paene exhausit, melius profecto et Aristotele, et Phile, et Heliano.

Quid quod artes ipsae a Religione foventur? Ipsâ enim suadente, templa ad Dei O. M. cultum peragendum magnificentissime excitata sunt; quo factum est, ut Architectonices, Picturae, Sculpturae studia quam maxime floruerint,

Romae (ut cetera omittam) ad unum Divo Petro dicatum templum exornandum architecti, pictores, sculptores ex toto terrarum orbe egregii a Julio II, Leone X, aliisque Romanis Pontificibus adciti sunt, posterisque exempla verae magnificentiae, et pulcritudinis aedificiorum reliquerunt. Quid de Musicâ nunc esset, nisi a Religione sustentata fuisset? Nostis enim quid Aretinus ille Guidus praestiterit, ut ars illa suavissima perennaret. Et Picturae denique, et Statuariae, et Musicae Religio tam apta argumenta sine fine suppeditat, ut non male plerique existimarint, ideo tantis bonis quasdam Europae regiones carere, ac paene esse barbaras, quod templa habeant nuda cultu, silentioque aeterno damnata, ubi neque imagines, neque vocum concentus adeuntium animos concutiant, permoveant, accendant.

Haec, Auditores, si non omnia, at praecipua saltem bona sunt, quae a Religione scientiis, artibusque promanarunt. Neque

id mirum cuique esse debet, qui sciat vitiis, et otio acerrimum bellum per Religionem indici; quare opus est, ut ipsâ duce artes, scientiaeque perficiantur, quae nonnisi improbo labore possunt ab hominibus comparari. Iam si sudare, algere, ut aiebat ille, abstinere a Venere, et vino ad optatam metam pertingendam optime faciunt, locus hic est, Iuvenes, ubi memorem quantâ vi Religio noxias voluptates, et effraenes animi cupiditates cohibens, Vos ad literarum studia acerrime urgebit, si eius iugo colla subdere, uti par est, velitis. Porphyrius, et Iamblichus a Pythagorâ praeceptum fuisse tradunt, amovendam esse totis viribus a corpore aegritudinem, ab animo inscitiam, ab urbe seditionem, a familiâ discordiam, simul ab omnibus intemperantiam; Haec, addebat, minime cum Sapientiâ consistunt. Idemque Pythagoras, ventris, Venerisque indulgentiam Sirenis homicidis comparabat. Plato Sapientiam dixit esse vitiis adver-

sam, quod eius finis sit vitiis purgare mortalès. Concinit Cicero (*in fin. L.* I. *de Leg.*) Ipsum audiamus : « Cum ani-
» mus cognitis, perceptisque virtutibus a
» corporis obsequio, indulgentiaque di-
» scesserit, voluptatemque sicut labem ali-
» quam dedecoris oppresserit, omnemque
» societatem carnis eiecerit, tum cultum,
» et Religionem susceperit, et exacuerit
» illam ut oculorum, sic ingenii aciem,
» ad bona diligenda, et reiicienda con-
» traria . . . . . Quid eo dici, aut ex-
» cogitari potest beatius? » Haec ille. At quis nesciet, ista a Christianâ morum Philosophiâ nobilius praecipi, cuius summa ea quidem sit, *Substine*, et *Abstine*, sed praemio aeterno proposito ?

Hinc profecto fuit, ut quicumque Religione praeeunte ad scientiarum penetralia accesserint, sine controversiâ doctissimi evaserint. Recolite etenim quaeso Clarissimorum virorum nomina, qui a Religione nostrâ exortâ floruerunt ; ecquem inve-

nietis, qui illam sanctissime non excoluerint? Proh Deum immortalem! Quot, et quanti ii sunt! Newtonum dixisse sufficiat, Copernicum, Galilaeum, Gassendum, Cartesium, Leibnitium, Keplerum, Baconum, Grotium, Clarchium, Puffendorfium, Malebranchium, Fenelonium, Bossuetum, Paschalium, Eulerum, Gerdilium, Muratorium. Quando desinerem? Deficeret profecto dies, fortasse et annus deficeret. Hi porro, quos dixi, aliique sapientissimi viri nihil antiquius habuerunt, quam ut se Christianos esse gloriarentur, et Christianam vitam a vitiis, et sordibus immunem traducerent. Age enim; Newtonus mundo lege statuisset, Grotius humano generi; scripsissent ceteri immortalia illa sapientiae monumenta, si in prostibulo, in theatris, in popinis, pretiosissimi temporis iacturam fecissent? Sed neque praetereundâ heic sunt viri sanctissimi, iique doctissimi, quos Hagiographos, et Philosophos summos saecula om-

nia praedicarunt, Irenaeum dico, Clementem, Iustinum, Lactantinm, Tatianum, Arnobium, Tertullianum, Origenem, Cyprianum, Basilium, Chrysostomum, Eusebium, Gregorium Nazianzenum, Ambrosium, Augustinum, Prosperum, Paullinum Nolanum, Prudentium, magnosque illos Leonem, et Gregorium. Nonne hi, Religione duce, ad scientiarum etiam profanarum, quas dicunt, apicem pervenerunt? Et ne patria exempla desint, quem nostis, ita vos Deus sospitet, inter egregios illos, atque eruditissimos viros, quos ferax sublimium ingeniorum Regnum hoc nostrum protulit, qui Atheum se iactaverit impudenter, vel moribus comprobarit? Neminem, Auditores, profecto neminem. Thomas Aquinas primum heic sibi locum iure vindicat, Ecclesiae Catholicae, huiusque amplissimae Universitatis nostrae singulare ornamentum, ubi in hac ipsà, quam teneo sede, Regius fuit Antecessor. Sophus Thomas, non Philosophus

tantum, si Baconi, Leibnitio, Wolfio, Lockio, Condiliachio, Genuensi nostro, Metaphysicis quotquot sunt, quotquot erunt, praeluxit; si Divino illo ingenio suo ipsum Aristotelem, et Arabas universos philosophari docuit; si in Politicâ, in Ethicâ, in scientiis omnibus palmam ceteris praeripuit, Religioni id totum tribuendum, cuius adeo eximius fuit adsertor, ut, absque illo fuerit, Hugo Grotius, Abadius, Valsechius, quotquot in numero sunt Religionis vindices, nihil solidum, nihil fructiferum prodidissent. En Borrellium, Baronium, Gravinam, Aegyptium, Genuensem, Martorellium, Seripandum, Portium, Sannazarium, Vicum, Cyrillos, Filangerium, Maiellum, et quorum iacturâ vulnus adhuc penitissimum recrudescit, collegas immortalitate dignissimos *Vincentium Petagnam*, *Philippum Caulinum*, *Antonium Sementinium*, *Nicolaum Vallettam*, *Nicolaum Andriam*. Eritne inter vos, qui in eo tam praeclaro doctis-

simorum hominum choro vel unum aliquem indicare poterit, qui Religioni valedixerit? Omnes et morum innocentiâ, et voce, et scriptis, et exemplo Religionem patriam iuvenibus commendarunt. Sed me cohibere non possum quin Te heic adpellem, Te Regiae Universitatis dulce decus, Te Regni nostri gloriam, *Alexi Symmache Mazochi*. Anima simplex, innocentissima, aeternum ave! Hoc vobis exemplum do, iuvenes. Quantus ille vir! Linguas Orientis omnes, totam Philologiam, et Archaeologiam immenso illo ingenio complectebatur. Theologiam universam, Historiam quid dicam? Pro lusu, et ioco illi fuit quodcumque misero sudore, et vigiliis pusilli nos vix tandem extundere potuisse videmur. Sed Mathematicam ille, sed Philosophiam quanta est, ut mirifice excoluit! Consulite architectonicas rationes tam subtiliter ductas in Amphiteatro illo Campano. Consulite vel Anatomicas abstrusas de arteriis disputationes in

Kalendario, quibus egregius Morgagnus merito plaudebat. Geodaetica tot alia perpendite in aureis Commentariis ad aeneas tabulas acutissime expedita. Vere Proteus, vere Vertumnus in literis, ubique maximus. Quanta vero Religione Mazochius praestitit? Vos scitis. Fac illum ex istis unum, qui otio, libidinibus, nugis deleniti a recto itinere aberrant. Fac Religionis hostem, de Epicuri grege porcum, Atheum! An tot praeclara detexisset? An unquam ille, ille, dico, fuisset Mazochius, quem merito universus orbis suspicit, lateque depraedicat? Et is non Thrasonica, sed magnanimi ducis voce vos omnes, Iuvenes, cohortatur; Sequimini. Audistis? *Sequimini*, inquit, in laboribus, *Sequimini* in Religionis cultu, *Sequimini* in gloriae praemiis.

Quae igitur nunc, adolescentes praestantissimi, vobis mens? Quod consilium? Videtis quo oratio mea tetenderit. Iam dixi scientias omnes adeo cum Religione

coniungi, ut ab ipsâ ad illas comparandas homines perducantur. Dixi, scientias ab ipsâ nobis et traditas, et custoditas fuisse, ut atrocissimam profecto iactari calumniam cognoscatis, ubi Religionem veluti scientiis infestam nebulones quidam nequissimi haberi volunt. Dicent fortasse Religione ingenia refraenari, ne latissimos scientiarum campos liberrime percurrant. At quam apertum istud mendacium sit, vos ipsi iudicate. Neque enim in Philosophiae, neque in Naturae studiis, neque in Iurisprudentiâ, neque in Medicinâ, in Criticâ, in Philologiâ, in Historiâ, in ipsis artibus Religionem ut hostem conspexistis. In Metaphysicâ quidem fraena ingenio iniiciuntur, ne scilicet homines in turpissimos errores prolabantur. At si Religio summis illis viris, quorum memoriam immortalem colimus, non obstitit quin apprime docti, et summi etiam Metaphysici, evaderent, calumniatorum insulsas voces ridete. Quod si iis vos adquiescen-

tes, Religione posthabitâ, eiusque fraenum detrectantes vitiis indulgebitis, quid a vobis expectandum? Oh miserrima tunc rerum facies! Manum habebimus iuvenum Atheorum, eorumque, qui Materialistae nunc audiunt, et quos *plebeios* Philosophos Cicero appellabat. Quid porro ex iis boni? immo quid non mali scientiis, Patriaeque obveniet? Difficile profecto est, ut a vitiis, in quorum coeno volutantur, pallidi effecti, exsucci, trementes; artuum, viscerum, capitis doloribus contabescentes, diu vivant; at si vivant, morte peior vita huiusmodi existimanda est; ut enim scientias summis labiis degustarunt, impostores facti, in sui, aliorumque perniciem dies ducunt; si Theologi, purissimae Religionis corruptores; si Iurisperiti, iniusti, et rapaces; si Medici, publici, atque impunes homicidae. En quo vestra inania studia, Iuvenes, sensim vos, ac sine sensu pertraherent, si Religionem abiiceretis. Avertat D. O. M.

a vobis, a Patriâ omen adeo triste beni-gnus avertat. Vos igitur *mentem heroi-cam*, quod Vicus noster aiebat, excita-te, heroumque digna cogitate: Negotium omne hoc uno absolvitur, *Religionem colite.*

Vidistis me non e sacro suggestu, non adhibitit Scripturarum testimoniis, ut cre-dere possitis divinae me caussae inserviis-se, sed e Cathedra literaria loquentem vestrorum bono unico inhiare. Ex ipsâ vocis, et vultus contentione, (ne de a-nimo dicam nostro cunctis perspecto) quantum vestra bona cordi mihi insideant, cognovistis. Habetis optimos Magistros, Regios istos, ornatissimosque Antecesso-res, Religione, et doctrinâ, eximios, lu-culenta, inquam heic habetis exempla, si vivos quaeritis, mortuosque negligitis. Quid eos putatis velle in gravi illo silen-tio? *Religionem*, aiunt, *colitote.* Nunc, nunc vestrum memoriae suppetant, quae e dulcibus Patriae finibus discessuri ad

scientias in hac Universitate, domo antiquissima omnis doctrinae, addiscendas, a parentibus audistis, cum ante lacrimosum illud *Vale*, tremula voce inter suspiria, et singultus illud auribus vestris ingesserunt: Agite, quaeso, agite, ne inter Urbis blandimenta, et pericula spes nostrae, nostraque desideria destituantur, literis, scientiisque incumbite, quod ut votis respondeat, *Religionem colitote.* Patriam ipsam nostram, quaeso adspicite, quae brachia protendens, Non eritis, inquit, mihi iuvenes, neque praesidio, neque ornamento; hostes eritis, exitium publicum, si, quod absit, in impiornm cathedris considentes, Religioni vale dixeritis; *Filii, Religionem colitote.* Magnus hic, bonusque Rex, qui selectissimos, doctissimosque Viros vobis instituendis praefecit, ut de scientiis cum Religione coniungendis solliciti sitis et monet, et iubet. Mea igitur ille voce, *Religionem*, inquit, *colitote.* Me[illegible] plane

voce loquitur Regum optimus ; quum enim ipsum convenissemus, unica nos hac legatione ad vos fungi iussit, ut praecepto etiam suo morum innocentiam cordi haberetis. Nunciate, aiebat, referte adolescentibus meis paternum hoc mandatum : Scientiarum studiis morum sanctitatem, et Religionis amorem adiungant, ut sint utiles Patriae. O Regium vere oraculum, Pyramidi, vel si quid perennius, inscribendum ! Quo quidem providentissimo effato (ut nunc denique rem totam aperiam) in Orationis meae argumentum sumpto, ipsius rivos lubentissime claudo.

FELICITER.

Z
3204.13

324,678

Digitized by Google

